



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 104. Mors Ascanii Parisani Cardinalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

## §. CIV.

Sæc. XVI.

A.C. 1549.

*Mors Ascanii Parisani Cardinalis.*

Ascanius Parisanus erat patria Tolentinus, natione Italus, nonnisi ad grandia natus, ac præprimis a Clemente VII. Cajacensis, demum vero cedente Montano Cardinale Ariminensis Episcopus renunciabatur, anno autem Salvatoris nostri millesimo quingentesimo trigesimo nono a Paulo III. purpura decoratus passim Ariminensis Cardinalis vocabatur. Post hæc anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Perusinam, atque Umbrianam legationem obiit, necnon in Campaniam, aliasque Provincias Legatus decernebatur: tandem vero feria quarta die tertia Februarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo nono animam Deo reddidit, sepultus in Sacello, quod ipsemet construi fecit in Ecclesia ad S. Marcellum, ejusque anniversaria dies a Fratribus Ordinis Servorum B. V. cujus Protector erat, quotannis die decima tertia mensis Augusti in eorum Ecclesia celebratur. Hic idem Cardinalis testamento cavit, ut Palatium suum, ne a suis hæredibus alienari posset, extincta ipsius familia ad Cænobium D.

Ciac. p. 667.

Sæcul. XVI Marcelli, ubi sepultus quiescit, de-  
 A. C. 1549. voveretur.

§. CV.

*Guidiccionus Cardinalis mortuus.*

*Ciac. p 670.* Anno a Nativitate Domini millesimo  
*Attichy hist.* quadringentesimo septuagesimo Bar-  
*Card. Orlan.* tholomæus Guidiccionus Lucæ, quæ  
*hist. Soc. Jes.* Etruriæ urbs est, ex nobilissima gente  
*l. 2. n. 24.* erat ortus. Hic liberalibus disciplinis,  
*Ughel t. 6.* Theologia, ac Jurisprudencia apprime  
*Aubery l. 6.* excultus meriti sui famam usque ad  
 Romanam Curiam diffundebat, ibidem-  
 que a Farnesio Cardinale, qui postea  
 euectus ad Petri Cathedram, Paulus  
 III. nominabatur, primo in familiam  
 suam adscriptus, postea generalis Par-  
 menfis Episcopatus Vicarius constitue-  
 batur; cum vero ad quamdam villam  
 prope Lucam secederet, ibidemque  
 nonnisi literarum, ac pietatis exerci-  
 tiis intentus esset, inde ab eodem Pon-  
 tifice revocatus die duodecima Decem-  
 bris Anno a Nativitate Domini millesi-  
 mo quingentesimo trigesimo nono una-  
 cum Clusina, Interamniensi, ac Luc-  
 censi Ecclesiis purpuram accepit, si-  
 mul Romanæ Urbis Governator, Da-  
 tarius, & Major Pœnitentiarius decla-  
 ratus: Verum primos duos hosce Epi-  
 scopatus summo Pontifici restituit, imo  
 postre-